

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (63)

4.15.7. De statione ferroviaria

Monasterio Ottiliensi necessarium esse, ut ferroviariam coniunctionem directam haberet, satis mature manifestabatur. Magni momenti primo praesertim fuerant magnae copiae materialium aedificatoriarum transportandae, quae ad varia aedificia nova exstruenda spectabant. Disceptationibus bonis pertinacibusque et facto, quo pars territorii monasterialis administrationi ferroviariae gratuito tradebatur contigerat, ut trames «Ferriviae Lacūs Ambronis» sic dictae satis in propinquo monasterii praeterduceretur.¹ Ottiliensis «subsistendi locus ferroviarius» deinde Kalendis Octobribus a. 1898^o inaugurabatur. Scilicet sic progressus nondum ad finem pervēnit.² Ottiliensi loco subsistendi iam in eodem instruendo orbita industrialis sic dicta attributa erat, id est genus quoddam orbitae depositoriae, quae deverticulo ab orbita principali separabatur et in quā onerarii currūs onerandi exonerandique causā ad breve tempus subsistebant. Haec possibilitas rerum commercii non impediti monasterio erat maximi momenti, non solum quod attinebat ad materias aedificatorias afferendas atque carbones acquirendos, sed etiam ad res usūs cottidiani in regiones missionarias transportandas. Itaque omnino necessarium erat, ut haec orbita industrialis teneretur.

Ut videtur, interea disputationes quaedam de illā orbitā erant exortae, quā de causā mense Iunio a. 1906ⁱ sub fundamento «Constitutionum generalium de instructione usūque orbitarum industrialium»³ contractus inter ferrivias statales et monasterium Ottiliense iniebat, quo permansio atque usus ulterior orbitae industrialis statuebatur.⁴ Ipsa orbita industrialis illo temporis momen-


1 De hac re *cf.* Vol. 1, cap. 2.6.4.

2 De Ottiliensi statione ferroviaria inter annos 1903^{um} et 1930^{um} *cf.* Andreas JANIKOWSKI: Die Ammerseebahn. Stuttgart 1996, pp. 51 sqq.; Andreas JANIKOWSKI: Kloserbahnhof St. Ottilien. In: Eisenbahn-Journal 8, 2011, pp. 44 sqq. - Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 280 sq. duos eventūs illius spatii temporis breviter commemorat.

3 «Allgemeine Bestimmungen über die Herstellung und Benützung von Industriegleisen». - Eadem mense Iunio a. 1905ⁱ exhibitae erant.

4 Vertrag zwischen der Verwaltung den K.B. Staatseisenbahnen und der St. Benedictus-Missionsgenossenschaft St. Ottilien, 16.6.1906/20.6.1906 (ASO, A.11.10).

to in longitudinem 126 metrorum extendebatur, sita erat in fundo ferriviario⁵ et unā cum loco depositorio magnitudinis 960 metrorum quadratorum aream 1260 metrorum quadratorum obtegit.⁶ Currūs onerarii monasterio destinati adiuncti erant traminibus secundum horarium vehentibus atque in ipso loco a monachis sive in orbitam industrialem promoti sunt sive currūs denuo onerati inde ad orbitam principalem delati atque traminibus regularibus adiuncti sunt.⁷ Propter mutationes technicas deinde annis insequentibus duo additamenta huius contractūs facta sunt.⁸ Inde apparet orbitam industrialem in 133 metra prolongatam esse, sed totam aream adhibitam loco depositorio incluso esse minutam.⁹



Ichonographia orbitae anno 1911^o instructae.

- 5 Administratio ferriviaria aream possidebat, quia monasterium, ut coniunctionem ferrivariam atque «stationem ferrivariam» acciperet, eidem fundum ad tramitem construendum necessarium gratuito praebuit. Eā de causā in contractū anni 1906ⁱ (§ 3) expressis verbis decessum est de impensis loci conducendi.
- 6 Cfr Vertrag, 16.6.1906/20.6.1906, § 1 (ASO, A.11.10).
- 7 Cfr Vertrag, 16.6.1906/20.6.1906, § 4 (ASO, A.11.10).
- 8 Nachtrag I, 11.3.1907/24.3.1907 (ASO, A.11.10); Nachtrag II, 20.11.1911/28.11.1911 (ASO, A.11.10).
- 9 Cfr Nachtrag I, 11.3.1907/24.3.1907, § 1 (ASO, A.11.10). - Area tota ab administratione ferriviariā possessa in 693 metra quadrata et locus depositorius in 384 metra quadrata minuta est. - Andreas JANIKOWSKI: Kloserbahnhof. In: Eisenbahn-Journal 8, 2011, p. 44 per errorem indicat iam in primā instructione orbitae industrialis eius longitudinem in 133 metra extentam fuisse.

Mense Novembri a. 1912ⁱ parva domus lignea exstrui coepta est, quae habitationi custodis ferriviarii eiusque familiae destinata erat et cui etiam oecus muneris explendi erat.¹⁰ Eodem tempore in septentrione illius domūs nonnulla parva aedificia lateraliter erecta sunt, quae praeter alia adhibebantur ut tuguria mercium asservandarum.¹¹ Tamen statio ferriviaria non solum ad monasterii merces transportandas erat alicuius momenti, sed etiam commectus personarum propter maiorem numerum visitorum atque propter participes cursuum exercitorum cursuumque agriculturae scholae hiemalis progressum habuit.

Cum in Abbatia Ottiliensi iam in initio primi belli mundani pars monasterii atque agriculturae scholae hiemalis ut valetudinarium militare institueretur,¹² haec condicio effectum quoque in stationem ferrivariam exseruit. Nam crepido tantopere prolongata est, ut longa tramina valetudinaria sine difficultate subsistere atque milites vulnerati commodius ex traminibus efferri possent.

Eodem anno 1914^o Bavaricum Ministerium rei vehiculariae, postquam condiciones locales inspectae sunt, permisit, ut statio mercium atque statio cursualis in statione ferriviaria instituerentur,¹³ quae ambae Kalendis Augustis a. 1914^o inchoatae sunt.

Anno 1922^o habitandi domus nova maiorque in usum officialium ferriviariorum aedificata est.¹⁴ Domus autem lignea tamen aliquamdiu tamquam aedifi-

10 Cfr Chron. Ottil., Nov. 1912; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 36 (ASO, A.14.0); Andreas JANIKOWSKI (1996), p. 52; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 280. - Exhilarans hoc in conexū est adnotatio in Chron. Ottil., m. Nov. a. 1912 inveniēda, ubi legitur ipsam stationem ferrivariam etiam in futurum permansuram esse, cum «*esset nimis dolendum, si illa statio ferriviaria pulchra amoveretur vel omnino mutaretur*». Hac «*statione ferriviaria pulchra*» significatum esse initiale tugurium ex metallicis laminis undulatis constructum denique e notitiā in Chron. Ottil., m. Iun. a. 1913 exhibitā apparet.


11 In ichnographiā anni 1911ⁱ supra monstratā conspicitur illa aedificia iam praedisposita fuisse. - Ad tuguria mercium erigenda monasterium partem horti seminarii cessit.

12 De valetudinario militari cfr Vol. 2, cap. 8.1.

13 Cfr Epistula Ministerii [Bayer. Staatsministerium für Verkehrsangelegenheiten] ad administrationem monasterialem directa (5.4.1914) (ASO, A.11.10); Ann. Ottil., 21.4.1914 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Apr. a. 1914. - Maria HILDEBRANDT (2008), p. 281 rem etiam breviter commemorat.

14 Cfr Andreas JANIKOWSKI (1996), p. 52; Andreas JANIKOWSKI: Kloserbahnhof. In: Eisenbahn-Journal 8, 2011, p. 46.

cium muneris exanclandi servata est.¹⁵



Ottiliensis statio ferriviaria anno 1925^o recepta.

Illa autem quaestio magni momenti, quā agebatur de orbitā industriali, contractū anni 1906ⁱ nondum prorsus soluta erat. Nam ex simulatis causis parsimoniae administratio ferriviaria anno 1922^o orbitam industrialem amovendam curaverat. Hōc modō procedendi pro monasterio magna detrimenta efficiebantur, cum inde ex illo tempore omnes merces allatae vehiculis a statione ferriviariā Geltendorfiensi in Archiabbatiam transportandae essent. Sic magna impensa laborum temporisque superadditicia requirebantur. Anno 1928^o multiplicibus contentionibus denique contigit, ut Ottiliensis statio ferriviaria ut statio plenaria exaedicaretur, quae lateralem orbitam transitoriam cum proprio suggestū mercium exponendarum accepit.¹⁶

4.15.8. De Procura

Quod attinet ad consociationem missionariam, Procura est elementum magni momenti. Hoc significat illo tempore fuisse locum, in quo dona pro missione accepta administrabantur, merces regionibus missionariis destinatae asserabantur earumque transportatio praedisponeretur et in quo etiam merces, quae ex regionibus missionariis allatae sunt, recipiebantur atque separabantur.

15 Domus lignea postea inde amota est atque alio loco ad alios scopos iterum erecta est. - In imagine anni 1925ⁱ non solum nova domus domicilii, sed etiam domus lignea atque vetus tugurium ex metallinis laminis undulatis constructum conspiciuntur.

16 *Cfr* Chron. Ottil., secunda dimidia a. 1928; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 2, p. 13 (ASO, A.14.0).

Etiam Procura mutationibus localibus aedificatoriisque subiecta erat.¹⁷ Primo duo conclavia, quae sita erant in vetere aedificio monasterii Sancti Andreae, in usū erant. Quamquam illa conclavia revera tantummodo erant condicio provisoria, tamen procurator missionis ipsiusque cooperatores nonnullos annos expectare debuerunt, usque dum locus laboribus aptior eis attributus est.

Uti iam commemoratum est, P. Dominicus Enshoff anno 1902^o ad sinistram domunculam portariam versus monasterium curaverat additamentum adiungendum, cuius oeci munere musei fungerentur.¹⁸ Illi aedificio ex lateri-



Domuncula portaria cum domo Procurae desuper recepta.

bus constructo tantummodo pedeplana erant atque eidem superpositum erat planum tectum cuneatum. Ante aedificium adiectum in parte introitus more Africano insuper vestibulum apertum, sed tectum positum erat.¹⁹ Cum anno


17 Mutationes illius aedificii, in quo Procura per multos annos locum habuit, describuntur in manuscripto (ASO, K.8), cuius primae parti est titulus «Anfang und bauliche Entwicklung der Missions-Procura bis 1920». Secundae parti, quae extenditur usque in annum 1950^{um}, nullus titulus est. Utraque pars propter scripturam eodem auctori attribuenda est, cuius nomen tamen non indicatur. Fortasse P. Hugo Reinhart has paginas composuit, qui - brevi intermissione, cum monasterium sublatum erat - inde ab mense Augusto anni 1920 usque ad mensem Septembrem anni 1960 erat procurator missionis. - Descriptionem huius manuscripti etiam Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 284 sq. sequitur.

18 *Cfr* cap. 4.15.6.3.

19 In manuscripto hoc vestibulum verbo sermonis Suahelici appellatur «baraza». «Baraza» significat originaliter et genus quoddam consilii et locum quoque, in quo tale consilium instituitur.

1904^o museum in aedificium Sancti Michaelis transmigravit, locus tunc liber pro Procura adhiberi potuit, primo saltem partim.

Tamen in interiore parte nonnullae mutationes factae sunt. Anterior pars aedificii adiecti Procura ad usum attributa est.²⁰ In eius murum exteriorem magna porta inserta est, ita ut merces facilius vehiculis imponi possent. Praeterea arcus rotundus, per quem oecus posterior intrari potuit, muro claudabatur, ita ut ille oecus hunc in modum separaretur. In illo oeco poste-



Ichnographia Procura in manuscripto delineata.

riore primo inveniebantur officina pictorum atque conclave photographematum detegendorum. Cum denique anno 1910^o officina pictorum ad alium locum translata est, Procura hunc quoque oecum in usum proprium adhibere valuit. Ut illi duo oeci coniungerentur, in parietem intermedium foris inserta est eodem loco, ubi antea arcus rotundus fuerat. «Refectorium pauperum» sic dictum in domuncula portariā originali situm porro adhibitum est, usque dum in novam domum portariam translatum est. Vestibulum apertum postea partim muro clausum est et ut conclave ad cistas asservandas adhibitum est.²¹

20 De descriptione harum mutationum primarum *cfr* «Anfang und bauliche Entwicklung», pp. 4 sq. (ASO, K.8).

21 Condiciones explicatae in ichnographia exhibita conspiciuntur. - Ichnographia originaliter manu delineata invenitur in manuscripto, quod est «Anfang und bauliche Entwicklung», p. 5 (ASO, K.8). Quia delineatio aliquatenus pallida non erat apta, ut directe assumeretur, ad meliorem conspectum unā cum textū ibidem legendo picturam originalem sequens in

Postquam domus portaria anno 1912^o in monasterii aedificium novum translata est, domus Procurae commutata atque amplificata est.²² Hōc propter Procurae labores magis magisque crescentes omnino necessarium erat. Primo tectum planum supra oecos musei prīstini tecto fastigiato commutatum est, quā re oeci in subtegulaneo exorti sunt. Aditus ad illos oecos subtegulaneos factus est scalis, quae ex posteriore oeco pedeplanis sito sursum duxerunt. In



*Interiora Procurae missionis ante annum 1912 recepta.
Conspiciuntur etiam Fr. Baptista Krimbacher et Fr. Rupertus Hochberger.*

ipso subtegulaneo praeterea immediate supra suggestum ad onera spectantem anabathrum cistis movendis destinatum instructum est. Prīstino «refectorio pauperum» etiam tectum fastigiatum superpositum est. In ipsum hunc oecum grapheum Procurae translatus est. Propter novam constructionem tecti supra aedificium adiectum in ipsā domo deinde plures fenestrae necessariae erant, quae muris insertae sunt atque clatris ferreis instructae sunt.²³ Denique conclave photographematum detegendorum in dexteram domunculam portariam illo tempore adhuc exstantem translatus est. Hunc in modum totum aedificium locus Procurae redditum erat.

delineationem ordinatralem transtuli. Indicia autem delineationi adscripta consulto non in Latinum verti, quia in originali manuscripto sunt verba Theodisca.

22 Cfr «Anfang und bauliche Entwicklung», p. 6. (ASO, K.8).

23 Annalista effectum commutationis laudavit et explicuit systema praemeditatum practicumque, quo res mittendae ordinata erant. Cfr Ann. Ottil., m. Nov. a. 1912 (ASO, A.3.4.3).

Aedificium autem Procurae deinde usque in annum 1930^{um} hanc formam retinuit. Tunc tamen propter Procurae labores magis magisque crescentes iterum necessarium erat, ut aedificium aplicaretur.²⁴ Cum autem Archiabbatia illo tempore in pecuniariā condicione pessimā versaretur, maioratio domūs modo quam vilissimo fieri debuit. Itaque maximā ex parte materia aedificatoria iam existens adhibita est, quae exorta est ex vestibulo diruto atque ex veteribus tectis, quae amota sunt. In latere septentrionali domūs murus exterior prolongatus est, ita ut aedificium paene quadratum est



Procurae domus Sancti Pauli.

factum.²⁵ In lateribus orientali atque occidentali muri fastigiati erecti sunt et domus tecto bilateralis tecta est. Hunc in modum in loco subtegulaneo novi oeci effecti sunt. Ibīdem deinde in orientem directa instructa sunt tria graphae, in occidentem versus monasterium conclave librorum institutum est. Reliquae partes subtegulaneae ex causis pecuniariis non iam structione suppletæ sunt, quae tamen in usū erant. Ipso anno 1930^o aedificii mutatio confecta erat.²⁶ Postquam aedificium transmutatum est et totum in manū Procurae fuit, nomen Sancti Pauli ei inditum est.

24 Mutationes aedificii describuntur in secunda parte manuscripti commemorati: Prokurabericht, 2, pp. 1 sq. (ASO, K.8). - Breviter de hac re etiam Maria HILDEBRANDT (2008), p. 285.

25 Mensura erat 15,5 ad 16,5 metra. - Cfr Prokurabericht, 2, p. 2 (ASO, K.8).

26 Brevem notitiam huius rei etiam facit Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 2, p. 15 (ASO, A.14.0).

4.15.9. De oeconomia monasterii

4.15.9.1. De progressu oeconomico inde ab anno 1902

Incrementum oeconomiae in Ottiliensi area monasteriali est maximi momenti aspectus in toto progressu Abbatiae. Nam imprimis agebatur de proprio victu monachorum, cooperatorum, discipulorum, participum cursuum et sic porro, sed etiam de scopo, quo Fratres, qui in regiones missionarias emittendi erant, scientiam agriculturae sibi acquisiverunt, quam in stationibus missionariis adhibere et quam indigenas quoque docere potuerunt.

Oeconomiam efficacem extruere tamen in areis ad monasterium pertinentibus non erat inceptum nimis facile. Nam ibi varia elementa non ita opportuna coniungebantur, quibus opus agriculturae fundare atque extendere difficile redditum est. Unā ex parte area Ottiliensis quoad tempestatem sita est in Bavariae superioris paramo satis aspero, ubi praeterea aquarum divortia finguntur regionum fluviorum, qui sunt Licus, Ampera et Parra.²⁷ Parra autem originem suam in Ambingensi terra palustri habet. Cum annua quantitas media pluviarum sit satis magna, generaliter agitur de regione satis umida. Sed maxima copia pluviae aestivis mensibus Iunio usque ad Augustum cadere solet, id quod culturae frumenti non est nimis opportunum. Secundus aspectus impediens in eo est, quod area Ottiliensis sita est in Bavariae superioris regione praealpestri, in qua rudera molis glacialis deposita sunt, qua de causa qualitas terrae vere diversa invenitur et in spatio angusto inter glaream, lutum grave atque paludem variatur.²⁸

Propter has condiciones itaque omnino necessarium erat, ut terra systematice excoleretur et hunc in modum agricultura rationaliter atque efficaciter exerceretur. Primis annis, quibus monasterium in loco Ottiliensi initium duxit, nondum vere intente in hanc quaestionem incumbebatur, quia primo opera aedificatoria anteponebantur. Denique inde a tempore Abbatis Norberti Weber laboribus auctis hac in re paulatim progressus conspicui fiebant. Iam

27 *Lech, Amper, Paar.* - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: Bavaria Latina. Wiesbaden 1971, p. 154, p. 65, p. 186.


28 De his condicionibus cfr Alfred KLEIN: Die Kulturtätigkeit der Benediktiner von St. Ottilien auf ihrem Landgut zu St. Ottilien in Oberbayern. Leipzig / Erlangen 1923, pp. 1 sqq.; Basilius KONRAD: Die Ökonomie der Benediktiner-Missionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1929, pp. 9 sqq.; Oskar KUHN: Geologie von Bayern. München / Basel / Wien 31964, pp. 140 sqq. - Quod attinet ad descriptionem temporis spatii inter annos 1902^{um} et 1930^{um}, investigationes Alfredi KLEIN (1923) et Basilius KONRAD (1929) ut explicationes contemporaneae sunt vere utiles.

anno 1902° Abbas Norbertus P.ri Paulo Sauter²⁹ viro strenuo atque indole practicā praedito munus oeconomi monasterialis tradidit. Īdem autem scopum suum in duobus propositis principalibus vidit, nempe in coniunctione arearum dispersarum atque in institutione efficacis administrationis magnae. Hoc scilicet erat inceptum, quod ad plures annos spectabat et iterum iterumque progredi debuit.

Cum tota area, quae oeconomiae destinata erat, propter terrae qualitatem non sufficientem pro agriculturā uberrimā nullam magnam spem praeberet, decernebatur, ut momentum oeconomiae in re pecuariā poneretur. Itaque cum

pro pascuis atque pratis tum pro reliquis areis agrorum necessarium erat, ut terra intente excoleretur. Hōc in conexū praesertim paludes atque prata systematicā aquae deductione indigebant, ut campi virides sic dicti pascuis atque pratis pabulorum destinati acquirerentur et areae agrorum iam exstantes meliorarentur.³⁰


Ottiliani quidem iam annis nonagesimis saeculi undevicesimi ex palude in regione meridionali septentrionalique monasterii sitā aquam deducere conati sunt, quae actio tamen effectum non nimis magnum habuerat, cum praeter



P. Paulus Sauter.

29 P. Paulus Sauter, natus die 20° m. Dec. a. 1862° in vico NeuhoF in archidioecesi Bambergensi sito, tempore scholari superato munus carpentarii didicerat. Tempore militiae transacto anno 1885° (adhuc Richopago) monasterium intravit et die 2° m. Febr. a. 1888° in monasterio Ottiliensi vota sua protulit. Paulus Sauter praeter alia primo etiam aedificatione ecclesiae monasterialis occupatus erat, cum sodalis ad commissionem aedificatoriam pertineret. Itaque iterum iterumque studia sua theologica interrumpere debuit, ut quaestiones aedificatorias curaret. Die 29° m. Iun. a. 1902° denique sacerdotio auctus est. Immediate postea munus oeconomi monasterialis ei traditum est, quo functus est, usque dum die 24° m. Mart. a. 1925° in Argentiniam emissus est. In Argentina foundationi colonis Germanis destinatae in regione Gran Chaco praeerat, quae tamen post breve tempus in irritum cecidit. P. Paulus die 17° m. Maii a. 1927° in Germaniam revertit. Vitā functus est die 6° m. Oct. a. 1931° in Archiabbatiā Ottiliensi. - *Cfr* Necrologium 2015, nr 0172, p. 26; ASO, A.1.1 (PA Sauter); Moritz SCHRAUF: P. Paulus Sauter O.S.B. +. Ein Lebenslauf. *In*: Mbl 36, 1932, pp. 34 sqq. - De incepto in regione Gran Chaco incohato eiusque conditione perditā *cfr* cap. 4.10.2.2.2.

30 De hac re *cfr* fusius Alfred KLEIN (1923), pp. 34 sqq.; Basilius KONRAD (1929), pp. 10 sqq.



Arearum descriptio.

experientiam adhuc mancā etiam agricolae, qui areas vicinas possidebant, incepto se adiungere nondum voluissent. Haec conditio videlicet successū



Agricultura prioris temporis.

crescente laborum Ottilianorum mutata est.³¹ Aquae deductio tamen omnibus locis, quibus fiebat, erat res laboriosissima, quia tubi siccationis satis profunde ponendi erant, ut operarii bonum effectum consequerentur.³² Deductione aquae factā terra illarum arearum culturā frumenti, sed imprimis culturā pomorum terrestrium, raparum carotarumque meliorari coepta est.³³ Denique vero cum hōc modō progrediendi palus prīstina usque in profunditatem 25 ad 30 centimetrorum tractata erat, satio pratorum incohata est. Eādem autem deinde satis celeriter maxime frugifera erant.



*Sectio faeni.
Secundus a dextris: P. Paulus Sauter.*

Hōc in conexū praeterea maius inceptum excolendi specialiter commemorandum est. Nam anno 1910^o Ottiliani aream stagni Ambingensis sic dicti emerant,³⁴ quod non longe a vico Geltendorffio situm erat et quo circiter 33 hectaria complectebantur. Initio agebatur de piscinā quādam, quae tamen ut talis

31 Sic ex.gr. anno 1909^o «prima consociatio rivi Fischbach» exorta est, quā praeter monasterium ipsum vicini agrorum possessores coniuncti erant, ut fossam aquae deducendae in regione rivi, qui est «Fischbach», instituerent. Anno 1916^o «secunda consociatio rivi Fischbach» amplificata condita est, quā labores incohati continuabantur. - *Cfr* Alfred KLEIN (1923), pp. 34 sq.

32 *Cfr* Alfred KLEIN (1923), p. 37; Basilius KONRAD (1929), p. 13, qui hōc locō etiam commemorat totam longitudinem tuborum intra breve spatium temporis circiter 20.000 metrorum habuisse.

33 *Cfr* Alfred KLEIN (1923), p. 37; Basilius KONRAD (1929), p. 13.

34 Annus emptionis videtur non satis clarus esse, cum Konrad HECKELSMÜLLER: *Baugeschichte St. Ottilien* (s.a.) I, p. 30 (ASO, A.14.0) diem emptionis indicet diem 5^{um} m. Aug. a. 1910^o, sed Alfred KLEIN (1923), p. 41 et Basilius KONRAD (1929), p. 11 scribant hanc aream anno 1916^o esse emptam.

non iam usui esse poterat, quia pisces adhuc exstantes morbo quodam laborabant. Insuper stagnum iam multum in paludem terramque redditum erat et multis in locis variis plantis coniectum erat. Itaque cogitatio facile inveniri potuit, quā stagnum exsiccaretur atque in terram cultam mutaretur.³⁵

Stagnum Ambingense excolere tamen erat labor durus difficilisque, quo aliquod spatium temporis consumebatur.³⁶ Nihilominus haec condicio non solum cohaerebat cum magnitudine campi. Primum enim problema iam exortum est, cum stagnum aquā exinaniretur, antequam ipsi tubi siccationis poni potuerunt. Magnae quoque difficultates praesertim praebantur condicione, quā stagnum plantis obductum erat. Hōc locō imprimis extensa erat carex stricta sic dicta,³⁷ quae in numerosis tūberibus³⁸ crevit, quae multum ad



Plantae caricis strictae in stagno Ambingensi.

stagnum in paludem reddendum attribuerunt. Illa tūbera unā cum plantis amovere erat labor molestissimus, cum éadem non solum in altitudinem 40 ad

35 Emolumentum talis modi progrediendi praeterea in eo erat, ut aquae deductio arearum in propinquo sitarum meliorem effectum exseruit.

36 Fuse de hac re cfr Alfred KLEIN (1923), pp. 41 sqq.; Basilius KONRAD (1929), pp. 11 sqq.

37 Carex stricta est herba aquatica et pertinet ad Cypreaceas.

38 Talia tubera appellantur «Bulten». Éadem sunt tumuli plantis coniecti, qui in paludibus vel in areis palustribus inveniuntur.

50 centimetrorum extendebantur atque éadem 1,50 ad 2 metra amplitudinis habebant, sed etiam multae radices éadem pervaderant. Tūbera autem amota



Monachi in stagno Ambingensi laborantes.

atque concisa adhibebantur, ut fossiculae umidae atque lacunae maiores explerentur. Postquam tubi siccationis positi sunt, tota area terrā minerali,



Monachi quidam in stagno Ambingensi operantes.



*Monachi, qui in stagno Ambingensi excolendo laborant.
A dextris: P. Mauritius Schrauf.*

stercore mixto atque fimo putrido implebatur.³⁹ Primis autem annis maiore in parte areae p̄stini stagni frumentum serebatur, ut solum ad prata accipienda praepararetur, quae graminibus sat̄s optime floruerunt creveruntque. Aliqua in parte areae p̄stini stagni silva consita est.⁴⁰




P̄stinum stagnum Ambingense, postquam excultum est.

39 Illud stratum altitudinem viginti ad sexaginta centimetra habuit.

40 Ad hanc silvam struendam imprimis pinūs atque alni adhibitae sunt.

In conexū coniunctionis agrorum Ottiliani anno 1920^o permutatione factā acceperunt aream circiter 8,3 hectarearum, quā silva interea caesa continebatur et cui pessima qualitas terrae erat.⁴¹ Hunc locum Benedictini laboribus difficillimis in pascuum transformaverunt, quod deinde, cum in propinquo aedificia oeconomiae sita erant, ut pascuum pecorum veterum erat in usū.



Pascuum pecorum veterum.

Maxima pars areae Ottiliensis, quae ad oeconomiam exercendam adhiberi potuit, intentis laboribus excolendi factis inter annos 1902^{um} et 1930^{um} itaque



Grex ovium cum pastore suo in pratis meridionalibus ante monasterium sitis.

41 Cfr Alfred KLEIN (1923), p. 48; Basilius KONRAD (1929), p. 13.

ut prata atque pascua usurpabatur.⁴² Hoc significat maximi momenti pondus oeconomiae in re pecuaria fuisse. Praesertim incumbabatur in culturam boum atque in oeconomiam lactariam. Sed etiam cultura suum exercebatur. Inter primum bellum mundanum praeterea grex ovium acquirebatur, ut ex lanā panni ad usum proprium effici possent. Insuper cultura gallinarum atque cultura apium instituebantur, quae propter multa prata revera erat aliquatenus expectanda.

Fundus circiter 67 hectarearum variis in agris ad ipsam agriculturam exercendam in promptu erat. Colebantur frumenta robusta,⁴³ poma terrestria atque rapae.⁴⁴ Etiam omnes fructūs agrorum spectabant ad indigentiam propriam magnae familiae monasterialis explendam.⁴⁵

Intra viginti quinque annos Ottilianis contigerat, ut, quamquam condiciones adversae vigeant, oeconomiam florentem instituerent. Quia P. Paulus Sauter et de ipsā oeconomia et de hiemali scholā agriculturae⁴⁶ anno 1909° conditā bene meritus erat, rex Ludovicus III die 7° m. Ian. a. 1917° eum titulo consiliarii oeconomiae honoravit.⁴⁷ Administratio bona peritaque unicuique institutioni quaestuosae quidem est omnino necessaria, ut boni effectūs consequi possunt. Tamen nobis oblivisci non licet solum cooperatoribus intente iuvantibus totam rem bene progredi. Quod attinet ad Abbatiam Ottiliensem, hōc significat in agriculturā atque in culturā pecuariā imprimis Fratres labores necessarios exanclavisse, sed in rebus urgentibus velut in messibus, quae celeriter colligendae erant, exempli gratiā etiam discipulos accitos esse et Patres quōque auxilium tulisse. Omnibus autem laboribus P. Paulus Sauter ipse semper manum imposuit.

SIGRIDES ALBERT

[Vox Latina 237, 2024, pp. 341-357]

42 Ad hanc rem *cfr* numeri imprimis apud Alfredum KLEIN (1923), pp. 53 sqq.

43 Exempli gratiā secāle hiemale, triticum hiemale, hordeum aestivum, avena.

44 Cultura pomorum atque holerum, quae etiam fiebat, non erat sub administratione oeconomi monasterialis.

45 In Chronicis regulariter de statū oeconomiae, de copia messium, de difficultatibus ex tempestate exoriundis, de progressibus deque damnis referebatur.

46 De agriculturae scholā hiemali *cfr* cap. 4.12.2.

47 *Cfr* Mbl 21, 1916/17, p. 144 (Aus der Klosterwelt); Alfred KLEIN (1923), p. 83.